

massam habebis, quæ absq; morfu vlceribus mirè prodest: virulentis præsertim & gallicis. Ardens prætereà spiritus vini vehiculum est educendæ spirituosæ virtutis. Is ab extracta virtute facile separatur, vt nil caloris remaneat, vel perpusillum. Sin remaneat, iam Medici rationalis consilio non nisi eo loco, & tempore, quod scopus curationis permittit, adhibetur. Vt nihil sit, quod caliditatis metu suspecta ea, nobisq; inuisa reddere oporteat. Ergo si tandem, quæ vruntur, vel affuso vini spiritu extrahuntur, libera sunt à caliditatis nimix calūnia, quantò verius ea, quæ vel distillant, vel alio potius, quàm ignis calore præparantur? An ergo timeatur caliditas? quæ vel non nocet, si adsit: vel omninò non adest. Quid enim iustius alieno calore exasperatum censeriqueat, diuersis salium generibus. At plures illorum frigidus esse, suæq; qualitatis notas de se dare, eruditi Chymici docent, experientix quotidianis casibus adiuti. Sed agè, largiamur calida esse, quæque acrimoniæ suæ tenuitate externã cutim exulcerent. An ideo introrsum quoq; ad-

M 5 hibi-